

www.e-rara.ch

Philosophus irresolutus, sive, Quaestiones universae philosophiae principales

Walser, Iso

[Sankt Gallen], anno 1748

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 248

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28721>

Quaestio VIII. An genus metaphysice acceptum possit conservari in unica specie, alia impossibili?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

tur in conceptu objectivo naturæ specificæ, ergò licèt *extrinsecè*, & *ex parte subjecti* contrahatur natura communis in actuali prædicatione, non tamen contrahitur *intrinsecè*, h. e. hæc-
ceitas non fit de conceptu essentiali naturæ.

Fundam. Sent. 2. In actuali prædicatione prædicatum repræsentat naturam ut identificatam subjecto singulari, nam subjecta *limitant* prædicata; ergò ut singularem, ergò non manet universalis.

QUÆSTIO VIII.

An Genus metaphysicè acceptum possit conservari in unica specie, aliâ impossibili?

SENTENTIA I. Negans. Ita D. Thomas 1. post lect. 12. & Communiter Th. Th. Cardl. de Aguirre. P. Renz. Vischl. Reishl. Mayrhauser. Oberhauser. Babenstuber. Goudin. hîc. p. 1. q. 2. a. 5. Wenzl hîc *controv.* 4. q. 1. n. 33. & seqq. & alij, quos citant, & sequuntur Calaguritanus tr. 3. d. 10. c. 3. & Complut. D. 6. q. 2. n. 21, & est communis inter omnes.

FUNDAMENTA.

1. Totum potentiale, quale est genus, per plures species contrahibile non potest salvari respectu unius speciei; ergò nec genus. *Ant. prob.* ratio totius non potest salvari in unica parte; sed totum potentiale respectu unius speciei, aliâ implicante, habet solùm unam partem suæ potentialitatis; ergò &c.

2. Implicante altera specie, v. g. animal non esset gradus communis pluribus, nec superior, & latiùs patens, quàm prædicatum differentiale, v. g. rationale; ergò non esset genus. *Ant. quoad 1.* patet, quia imperceptibile est, aliquid esse commune pluribus, si plura non sint possibilia. *Quoad 2. prob.* quia in dato casu omne animal esset rationale, & omne rationale esset animal, ergò essent convertibilia, æquè latè patrent, consequenter genus non esset aliquid magis commune per ordinem ad minus communia.



RESPONSA Aa.

Ad 1. *Neg. ant.* quia implicante omni brutô prædicatum genericum animal verè conservaretur in homine : hic enim maneret animal. *ad prob. D. M. ratio totius actualis &c. con. Potentialis*, subd. si illud totum non sit *ex se* saltem multiplicabile con. si *ex se*, quantum est ex parte generis sit multiplicabile, & participabile à pluribus speciebus. *neg. M. D. m. & neg. conf.* sufficit ergò alteram speciem esse possibilem quantum est ex parte generis &c.

Ad 2. *Neg. ant.* quia illud animal *in se* esset ita constitutum, ut existente, & possibili altera specie, de illa prædicari posset, ergò *ex se* saltem esset prædicatum superius, & communius.

SENTENTIA II. Affirmans. Ita quidam à Complutensibus. *D. 6. q. 2. n. 13. & Calaguritano citati.*

FUNDAMENTA.

1. Implicante altera specie genus, v. g. animal fervaret omnia, & eadem

dem prædicata, ergò maneret immutatum, & genus sicut modò.

2. Daretur definitio hominis, in qua *animal* est genus, ergò.

3. Hæc prædicatio *homo est animal*, non esset identica, sed formalis: atqui prædicatio formalis est prædicatio superioris de inferiori; ergò *animal* esset adhuc quid superius, ergò genus. *Confirm.* animal posset poni in prædicamento super hominem, ergò ut superius.

4. Animal posset adhuc concipi ut quid potentiale determinabile per rationale; ergò.

5. Animal *ex se*, & quantum est ex parte sua haberet aptitudinem recipiendi alteram speciem si esset possibilis.

6. Vasculum aliquod vacuum etiam omni impletivo repugnante, verè tamen esset implebile, & haberet potentiam recipiendi liquorem aliquem; ergò etiam animal, etiam repugnante altera specie, habebit *ex se* potentiam illam recipiendi.

7. Quomodò ergò in dato casu animal prædicaretur de homine?

8. Potentialitas materiæ cœlestis conservatur in unica forma, ergò & potentialitas generis.

RESPONSA Aa.

Ad 1. *D. a.* eadem prædicata *physica*, v. g. in animali vivens, & sensitivum, con. *metaphysica*, h. e. rationem totius potentialis, & generis, neg. ant. *D. c.* maneret genus *physicè* acceptum, con. *Metaphysicè* acceptum, neg. conf.

Ad 2. *D. a.* Definitio hominis *essentialis*, & *Logicè* bona, neg. non enim constaret genere proximo, quia animal non esset genus: *descriptiva*, & *physicè* bona, con.

Ad 3. *Neg. min.* neque enim necesse est in prædicatione identica prædicatum esse quid *superius*, sed sufficit si ratione saltem distinguatur à subiecto. Itaque etiam prædicatio formalis potest esse *aqualis de æquali*, ut si dicam: *homo est rationalis*.

Ad confirm. D. c. ut superius *superioritate magis extensa*, & latius patente quàm homo, seu *superioritate propriè dicta*, neg. *impropriè dicta*, quatenus ef-

set quid *minùs actuale*, & *potentialius perficibile* adhuc per rationale. con.

Ad 4. *D. a. Potentialitate respiciente plures differentias perficientes neg. potentialitate respectu unius tantum differentia*, con.

Ad 5. *Neg. ant.* Quia animal ut est genus, est quid merè *potentiale*, nec est radix multiplicationis, quia ergò altera species implicaret, animal non esset ejus receptivum, cum non detur potentia ad impossibile; ad plurimum esset receptivum plurimum individuorum, non autem specierum, quia in illa hypothese haberet solum aptitudinem, & à Deo esset creatum cum aptitudine ad recipiendam unicam speciem, scilicet rationale.

Ad 6. *C. a. n. c. & parit.* Disparitas est, quia vasculum illud cum sit aliquid *physicum*, & potentia *physica*, haberet omnia requisita *physica*; esset enim *vacuum*, *reale* &c. econtra genus est aliquid *metaphysicum*, totum *potentiale*, & potentia *metaphysica*, essentialiter requirens plures differentias, velut partes suas contractivas; ergò his
re-

repugnantibus non erit totum *potentiale superius*, nec dabitur genus *metaphysicè* acceptum.

Ad 7. Dico prædicaretur de individuis per modum differentiæ *specificæ inadæquata*, quæ unâ cum rationali constitueret unam speciem *adæquatam, ex constantem vivente*, velut genere, & *animali, ac rationali* tanquam duabus specificis differentiis *inadæquatis*.

Ad 8. *Neg. parit.* Quia materiacelestis non est, nisi unius formæ capax, & ad unam tantum dicit ordinem, ut tenent Philosophi communius, adeoque habet solum *potentialitatem actuationis*, & *informationis*, explebilem per unam formam: econtra genus ex sua essentia est totum *potentiale*, & requirit plures species saltem possibiles, & dicit *potentialitatem contrarietatis*, & *extensionis* ad plures differentias, ergo cum respectu ad unam tantum conservari non potest.

Fundam præcip. Sent. 1. Genus, v g. animal implicante specie altera *ex se* non est aptum, ut sit in pluribus,



quia *ex se* est merè *potentiale*, nec est *radix multiplicitaris*, seu *communicatio-*
nis, neque datur *potentia ad impossibile*,
plures autem species supponuntur
impossibiles. ergò non esset *totum po-*
tentiale, nec genus &c.

Fundam. Sent. 2. Genus, seu ani-
mal *ex se* saltem est aptum, ut sit in
pluribus, & *ex se* esset, & maneret
determinabile, & *communicabile*, etiam
implicantibûs speciebûs. ergò.

QUÆSTIO IX.

De Universali Angelico,

seu

*An species prædicabilis ut universalis salvari
possit in unico individuo?*

SENTENTIA I. Species prædica-
bilis, & ut universalis positivè, potest
salvari in unico individuo, pluribûs in-
dividuûs repugnantibûs. ita Thomistæ
plurimi. nominatim Joann. à S. Tho-
ma q. 8. a. 3. Mailhat d. 2. f. 3. §. 3.
Vischl d. 3. q. 2. a. 3. Goudin hîc q. 2. a. 6.
Salemítani in harmonia Eroth. 2. Theor.
2. f. 2. n. 206. Complutenses d. 6.
q. 4.